
Ayuntamiento de Cádiz


UMASS
BOSTON

ORATIO INAUGURALIS

DE

UTILITATE LINGUÆ GRÆCÆ COGNITIONIS

AD

SACRAS LITTERAS INTELLIGENDAS.

ORATIO

QUAM

IN SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE

SEMINARII CONCILIARIS GADICENSIS

Sancti Bartholomæi,

XVII KALENDAS OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXII.

HABUIT

Lct. D. JOSEPH GARCIA ET DEULOFEU, PRESBYTER,

ECCLESIÆ S. CATHARINÆ, VULGO CAPPUCCINORUM RECTOR,
PROVINCIALIS MANICOMII CAPELLANUS, EJUSDEMQUE SEMINARII LINGUÆ
GRÆCÆ PROFESSOR.

Excmi. ac Illmi. Dris. D. D. JACOBI CATALÁ ET ALBOSA,

HUJUS DIŒCESEOS CLARISSIMI PRÆSULIS,

JUSSU ET APPROBATIONE.

(SUMPTIBUS SEMINARII.)

GADIBUS.

APUD F. JOLY TYPOGRAPHIAM.

†

Propter obscuritatem Scripturæ Sacræ linguæ Græcæ cognitio necessaria est; ut ad illam recurratur, si quam dubitationem nominis vel interpretationis sermo Latinus attulerit.

S. Isidor. Hisp. Etymolog. lib. 9 c. I.

Excme. ac Illme. Domine:

Humano generi ineffabilium operum notitiam, suæ creationis, videlicet et restaurationis in paucis libris D. O. M. tradidit, qui inexhaustos Divinarum et humanarum rerum cognitionis thesauros continent. Nihil ergo mirum, in Sacris Litteris tanta esse profunditas, ut quotidie proficeretur, si eas ab ineunte ætate usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaretur addiscere; non quod, ad ea saluti necessaria, magna in eis perveniatur difficultate; sed tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbris, opacata intelligenda proficientibus restant, et in verbis, et in rebus, sic latet altitudo sapientiæ, ut flagrantissimis discendi cupiditate, hoc contingat: Cum consummaverit homo, tunc incipit.[1] Instar metalla ingentia, imis recondita terræ visceribus, quovis auro pretiosiores nobis præbent divitias; fontes sacræ, venam perennis aquæ manantes, nunquam defficiunt, sed quantumlibet exhauriatur, multò amplius rursum affluunt. Siquidem per tot anfractus gyrosque temporum, multi tum commentatores, tum doctores ac interpretes, multa sæpe inde exhauserunt, nec tamen repositas inibi divitias evacuantur. Non enim hic thesaurus consumitur a multis effo-

(1) Eccli. Cap. XVIII. 6.

dientium manibus sed augetur et multiplicatur. Nec deficient fontis in modum scatentes divitiæ, neque metallorum genus exhaurietur: suapte natura spiritualia, nunquam omninò absumi possunt.[1]

Hos thesauros profundè admodum reconditos attingere, veritatis sitim his sacris fontibus explere, arcanos inibi creditos sensus aperire, procul dubio abest, qui genus locutionis in quo Verbum Dei sensibus hominum patefactum, optimè non agnoscat. Cognitio hæc, veritatem sustentat ac fulcit, errores depellit, difficilia penetrat, obscura collustrat. Scripturæ Sacræ usus loquendi apertus erit illi, qui verborum significationem illis linguis, quibus exaratæ sunt, rectè comprehendat, ac simul earum leges grammaticas. Quia vero Vulgata versio, *authentica* a Tridentina Synodo fuit declarata, satis erit latini idiomatis cognitio, ad Verbi Dei scripti interpretationem saltem quatenus opus est ad fidem moresque informandos; non tamen ad omnia ritè perscrutanda, propter qualitates plurimas principales, quibus Vulgata abundat, ex charactere item peculiari linguarum, a quibus originem habet. Juxta criteria exegetica, ad textus seu fontes primigenios confugere licet et expedit, imo quandoque necessarium est, ad Vulgatæ lectionis sensum optime intelligendum.

Linguas biblicas callere perutile est, atque ex his, quæ ad rem nostram facit, majoris momenti linguam Græcam cognoscere, quia dubitatio nominis vel interpretationis a lingua latina allata, juxta magni Hispalensis Antistitis regulam, hujus orationis capite infixam, aufertur, verusque Scripturæ Sacræ sensus ex collatione cum codice Græco originali non parvam accipit lucem.

Ex hoc nunc præfari liceat, laudis in hunc aditum, qui tantum optimo cuique maximè patuit, desiderium Dignissimo Præsuli morem gerendi me venire coegisse, coram tam amplissimo cætu verba facere in hoc annuo conventu; tot viris in quibus sapientia et scientia sicut in humanis, ita et in divinis

---

(1) S. J. Chrys. Homil. III. in Ep. ad Rom.

disciplinis adunantur; tot optimis adolescentibus admodum dilecti hujus Seminarii, qui avidissimi alacri animo huc conveniunt. Sed ut ad rem redeam, de linguæ Græcæ utilitate ad Sacras Litteras intelligendas, hanc, a Te, Exme. atque Illme. Domine, pro mea oratione thesim præstitam, incomptè licet, disserere suscepi. Superest, ut facultatuum defectus Divina ope sublevetur, et vestram humanitatem, benevoli auditores, sive ut christiane loquar, vestram charitatem, aliquando valeam experiri.

Ecclesiæ Catholicæ infensissimus hostis, haud unquam satis alligatus, hæresis hodierna, nihil intentatum relinquit, ut bellum non permoveat, scientiam non evertat, fidem non minetur omnia et posse et scire arroganter non sentiat. Cuncta studia perlustrando, agere conati sunt, ut nostram doctrinam figmentum esse, mythum nulloque fundamento inniti comprobaret. Si qua scientia, si qua virtus, si qua in cordibus nostris charitas, ¿quis non videat talem impiorum systematum pertimendam consuetudinem, tantam audaciam, tantam in proselytis quærendi vim animi, hanc luctam nunquam intermissam ab Ecclesiæ Christi propugnatoribus impensé postulare, vehementiusque efflagitare pectora ad tale bellum aptiora? Sed ¿quomodo paranda? Non ad unum pugnæ genus apparatus noster est, sed multiplex hoc bellum, atque ex variis inimicis: neque ipsi iisdem utantur armis, neque una tantum forma nobiscum congrediuntur: opus est enim pugnam commissuro, omnium technas notas habere, omnes dimicandi artes noscere; aliter sciet inimicus vel per unam partem, ea neglecta, prœdonibus suis immissis, oves diripere, at non item cum pastorem senserit, omni scientia esse præditum, omnesque ipsius insidias probè callere.

Cum Scriptura sacra doctrinam nostræ sanctæ religionis contineat, luctuoso nostro œvo surrexere hostes quamplurimi, pseudophilosophi seu Deistæ, qui assultus quosdam in Bibliam fecerunt; pernitiosos libellos longe latèque edere ausi; veterum paganorum fallacia argumenta ex ipsis apologeticis

veræ fidei scriptis eruta, incredibili audacia iterum producta; libros sacros ut falsos hominumque seductores universo orbi exhibere nisi sunt; criteriis internis ducti ac linguarum orientalium cognitioni fidentes, Vulgatam versionem ipsis fontibus hebræis et græcis disconformem, vitiosam et corruptam affirmant, ipsamet verba referunt ad suos errores comprobandos. Hujus veritatis testes existunt pernitiosa opera, hisce diebus magno cum Catholicæ Religionis detrimento æternoque auctorum opprobrio excusa. Libri Sacerdotalis vindicias, ut S. Ambrosius Scripturam sacram appellat,[1] munere nobis a Deo commisso, illis impigrè operam dare necesse est: ejus præstantiam agnoscentes, tunc vero splendidiori luce cernemus, quanta sit in flagitiosissimis hostibus perfidia, quanta in arguendo fallacia, in factis exponendis calumnia, in omnibus effrenata libido. Linguas Bibliorum originales callere non minimum subsidium conferre ei, qui Religionis dogmata stabilire aut demonstrare proposuerit, nemo, si ab omni eruditione non sit alienus, negare potest.

In hunc scopum utilis est linguæ Hellenicæ cognitio: at quosdam videmus, eo quòd linguam hanc ignorent, vel ut levissimum hujus addiscendæ laborem effugiant, inutile esse suadere conantur; hinc fit, ut eorum qui in errore versantur præcipuas difficultates œquum sit solvere, ita ut nullus relinquatur nodus vindice dignus. Theologis et verbi Dei prœconibus, quorum est exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere,[2] ac Scriptnræ genuinos sensus intelligere, sermonis græci utilitas in confessò est ab omni qui, nisi facto in litteris periclo, se Divinis in Litteris peregrinum fateatur atque hospitem. ¿Quis enim extraneum diploma intelligere atque singulas ejus voces appendere valeat, nisi quo illud scriptum est apprimè calleat idioma? Secus ergo Codicis sacri conditiones perfecte intelligere, Divinam verborum vim sentire ac cæteris inculcare possibile erit. Quamvis singulari Dei providentia factum est, ut ab Ecclesia probata versio, videlicet,

(1) De Fide libr. 3. c. 7.
(2) S. Paul. Ep. ad Tit. c. I. 8.

Vulgata editio Latina, in iis quæ credenda vel facienda a versione græca, quæ septuaginta interpretum nomine circumfertur non dessideat, attamen catholici scriptores quam plurimi versioni Vulgatæ prætulerunt ac præferunt, ubi clarior est hoc originarium exemplar, quod cum omnibus lineamentis longe abesse videtur sapientibus. Non aliter fieri potuit cum lingua quœlibet suos habeat tropos, sua idiomata, suos peculiares loquendi modos, sua proverbia, quæ in aliam linguam conversa, aut frigent, aut intereunt.

Præcipuum testimonium ab adversariis linguæ Græcæ allatum, in quo innituntur est, quòd omnes Canonicæ Scripturæ libros in latinum sermonem conversos esse a viris peritissimis, temporibus quibus orientalium linguarum major erat cognitio. Ex iis versionibus est Vulgata latina, quam non vituperare modo, verum etiam non sequi foret homini delictum; versio, quæ maximæ sui partis emendatorem habet S. Hyeronimum, tanti prætii Tridentinæ Synodo visa est; ut qui illam non reciperet, eos anathemate percussos esse voluerit;[1] atque ad solam institutionem augendam alendamque pietatem, non alio opus est subsidio, quam editionis latinæ interpretatio, cui alias etiam scriptorum lucubrationes adjungi possunt.

Verúm si labia Sacerdotis custodiunt scientiam et ex ore suo requirenda est lex [2], privatæ eruditioni augendæ non adlaborabit, si ne ipsam quidem sapientium linguam intelligit, et ignorata clave scientiæ, non solum iis, qui introire volunt, aperire nequit, sed nequidem ipse introire possit. Solida pietas animæ, quæ nonnisi veritate alitur quidem est Scriptura, sed rectè intellecta. Jure quamvis optimo Vulgata editio suis fontibus, quoad substantialia conformis declarata fuerit, ita ut nullo defœdata sit errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit, at nullum Ecclesiæ decretum extat, quod textui græco sit contrarium, proinde, qui Scripturas Sacras profundiùs meditantur, illum, quate-

---

(1) Conc. Trid. Ses. s. 4.
(2) Malach. c. II. 7.

nus opus est, consulere licet. [1] Sanè, Tridentini Patres a S. Hieronymi sententia non discesserunt, qui græcos fontes consulendos asserit, sit inter codices cum diversitas "Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas græci sermonis normam desiderat" [2] Præclarum istud S. Hieronymi effatum tanti momenti semper in Ecclesia Dei fuit, ut legis vim in jure Canonico obtinuerit. [3] Ideo locis sacrorum voluminum difficilioribus intelligendis perutile est versionem latinam ad textum primigenium conferre ut de ejusdem sensu judicium recte efformetur. Frustra igitur laborant, qui sine linguæ græcæ subsidio et solis versionibus instructi, germanum Scripturæ sensum assequi se posse existimant.

Quæret fortasse aliquis, ¿quid opus est, in addiscenda lingua difficilis, inculta, tempus in aliis studiis utilius utendum terere, si tribus abhinc sæculis tanta linguarum orientalium comparata est intelligentia, innumeros habentes in Scripturam commentarios a viris græcè peritissimis elaboratos, in quibus vocum potestas accurate disquiritur, linguæ idiotismi eruditè explicantur, et recondita quæque illius mysteria Latinè tantum scientibus aperiuntur? Sed tamen, non minor sæpe est de ejusdem vocabuli aut commatis sensu in optimis etiam quibusque commentariis, quam in versionibus, opinionum diversitas. Vocum potestas, sermonum idiotismi in commentariis quidem exponuntur, at ipsi intelligi nequeunt, nisi aliqua saltem hellenici idiomatis cognitione imbutus. Quomodo picturæ ignari variam egregiæ alicujus tabellæ pulchritudinem ab eximio licet pictore ostensam possumus animadvertere, nedum mirari? Quam multa, enim inquit Tullius [4] vident in umbris et in eminentia pictores, quæ nos non videmus? Quam multa quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, cum nos ne suspicemur quidem? Cum igitur ser-

(1) Pallavic. Histor. Conc. Trid. lib. 6, c. 17.
(2) S, Hyer. Epist. ad Luc.: tom. 4, par. 579.
(3) Grat. dist. 9. cap. Ut veterum.
(4) Academ. Quæst. IV. par. 88.

monis græci intelligentia ad genuinos Scripturæ sensus eruendos sit necessaria, eum comparare debent Sacrarum Litterarum studiosi.

Ut invidiam eorum deprecemur, qui humanitatis artium expertes calumniari possunt, in prælaudatæ linguæ instructione plura commoda ad Biblia sacra intelligenda fatendum est. Dictiones ab illa explicantur, quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud grœcos, quam latinus sermo exprimere non valet, "unde et nos," sic S. Hieronymus in commentariis, (1) "propter linguæ paupertatem et novitatem rerum, conabimur non verbum transferre é verbo, quod impossibile est, quam vim verbi quodam explicare circuitu." Et alio in loco "Latinum sermonem plenam græcæ litteræ intelligentiam non reddere quod in hac lingua plerumque major sit vis et pompa sermonis." Alia utilitas patet, ad intelligenda quædam loca, quæ vel apertius ab interprete reddi poterant, vel etiam sine alienæ linguæ subsidio explicari nequeunt; aut errorem deponens ex latini sermonis amphibologia, siquidem in pluribus utramque intelligentiam latinus sermo recipit, græcus tamen excludit: ad quædam denique vocabula percipienda, quæ in editione probata remanserunt, quia in alienam linguam transferri non possent, aut propter sanctiorem antiquitatis servandam auctoritatem. 2) Sunt et alia commoda in linguæ græcæ peritia, quæ satisfacerem; sed ipsius orationis indoles obstat, quia illis operam dare, ultra modum progredi necesse fuisset in hujusmodi veritatis inquisitione.

Illud tamen advertere velim non precissè classicam atque elegantiorem linguam rei nostræ convenire, quantum seriorem ac temporibus Alexandri posteriorem, Alexandrinam nempe, qua N. T. scriptores utebantur, sive quia vulgaris sua ætate, sive quia versio alexandrina communis apud Judeos Palæstinenses fuit. Etenim prœter religionem, nihil magis arctè in-

---

(1) Melch. Can Opera. lib. 2, c. XV.

(2) Exp. Epist. ad Ephes. in illa verba *a constitutione mundi.*

ditum vivendi naturæ populi, quam lingua, hæreditas sacratissima et inalienabilis. Judaicus populus in dispersione ex pluribus causis, sed præcipuè a captivitate babylonica ac subsequenti subjectione Persis primò, deinde Syris et postremò Romanis, patrum linguam transmuttavit in sermone extraneo. Illi profuit, ut hebraica lex græcè redderet Judæis œgiptiis sub Ptolomeo Lagi et non diù multum omnes Fœderis Veteris libri ad eumdem sermonem translati ac demum Evangelia, Act. Ap. atque Epistolæ, cum libro Apocalypseos, qui omnes N. T. efformant, paucis exceptis, quia hæc lingua tunc, etiam in Palæstina, vigebat, græcè sunt exarati.[1]

Hinc, veluti Theologo consentaneam et pluries necessariam linguarum notionem S. Augustinus commendat; præcipue egregio suo in opere. "De doctrina Christiana," quam uti veri ac perfecti theologi institutionem critici laudant omnes. Hebraicam quidem linguam, venia pluribus data, ita simul ac græcam et latinam fidenter S. Doctor extollit, "Contra ignota, ait, signa propria, magnum remedium est Linguarum cognitio. Et latinæ quidem linguæ, homines, quos instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturæ sacræ intellectionem habent opus, Hebræa scilicet et Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur"....[2] De præstantia hujus studii inconfessò est apud omnes doctos viros scientiis divinis eruditos; ideò dolendum sanè. quòd hac nostra tempestate, perpauci inveniantur, qui linguis sacris operam impendant, et sapientioribus vestigiis insistentes, ejus studium, usum et culturam in deliciis habeant. Hæc incuria, litterarum progressum maximoperè impedit, quippe exundantes nitidosque fontes ad nos usque deffluere non sinat, totque sapientiæ thesauros pervigili cura asservatos prorsus reddat inanes.

Operæ pretium est, prout res postulat, alloquendi munere mihi injuncto ad juvenes informandos, et ecclesiasticis disciplinis et humanitatis studiis aliqua, rationúm momenta afferre, tum ex historia, tum ex linguæ Græcæ natura, quæ de ejus

(1) E. Reuss. Hist. Theolog. Chret. Strasbourg, 1864.
(2) S. Aug. De doctr. christ. Lib. II, par. 72.

colendi utilitate altum animis sensum imprimentia incitent. Scientia philologica novis curis hac nostra ætate universæ rudera antiquitatis effodiens, innumeros thesauros plane ignotos palam aperuit, et labore doctissimorum hominum in posterum exploratum nobis est linguam Græcam ad familiam Indo-Europæam redigi. In dissertationibus Romæ habitis, super sacris litteris scientiarum naturalium progressui amico fœdere conciliandis, ad illa Horatii verba.

"Græcia capta, ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio." (1)

hæc alia adjiciuntur. "Sculpturam, poesim, picturam, historias, artes scientiasque gens Danaum inter rudes Latii incolas intulit, atque periodis rotunditatem, vimque sermonis tribuit. Erat Italia plena græcarum artium ac disciplinarum, studiaque hæc in Latio vehementius colebantur, ait Cicero, propterea quòd græca leguntur in omnibus ferè gentibus, latina suis finibus exiguis sanè continetur."(2) Ex quo sequitur artes et facultates, institutiones et disciplinæ ab Attica profectas esse, quæ ad linguam Latii efformandam inservit: siquidem Pelasga tellus Romano imperio subjecta mores, leges, ritus ac instituta ita et ejus linguam victoribus intulit.

Magnus radicum numerus, utriusque loquelæ communium, structuræ similitudo in pluribus vocabulis multisque aliis, tanta videtur affinitas, ut tanquam ex fonte rivulum, promanasse a multis grammaticis tradatur. Hebraici sermonis proprietas plurimum a latina locutione distare palam est. græci vero non item. Illud omnibus græcè peritis notum, nempe vocabuli quo utimur ad exprimendas determinationes idearum, unam ex potissimis partibus esse, adeo ut latinus sermo eorum expressionem, non imitari dicam, sed ne vix quidem ullis verbis assequi queat.(3)

Non est igitur cur humanissimæ et maximè jucundæ lin-

---

(1) Lib. 2. Epist I. v. 156.
(2) Em. Card. Wisseman. Edit. Hisp. Barchin. 1854.
(3) B. Arias Montanus: Præf. in Bibl. Polyglott.

guæ studio mens refugiat vacare præcipuè propter characteres, qui illam obsignat: et locuples est, et gratia nitet, super cœteras prœstat venustate et harmonia, phantasiæ et imaginationis thesauros penitus exhauriens: variata inflexione eminet ad exprimendas ejusdem ideæ modificationes; nullâ aptior ad plurimas ideas sub uno verbo comprehendendas: idcirco ab ea Latii tot compositæ voces mutuatæ sunt.[1] Si Plautus aliquando conatus est non suo, sed linguæ vitio plurima verba componere, ridicula illa quidem et græcorum elegantiæ et rotunditati imparia.

Hujusce sermonis proprium ac quasi natura et indoles in eo sita, non solum ideas primordiales, sed et addititias exprimere, quæ ad essentialem rerum significationem optimè intelligendam mirificè confert. Ideo Hippocratis ars nomenclaturam uosologicam ab ea accepit: instrumentorum nuncupationem scientia Physica; Chymia corporum appellationem et proprietates indè, deductas: Historiæ naturalis doctus investigator animalium ordinationem in Phisiologia et vegetabilium a Linneo in Botanica assignatam; unde si ad harum studiis vacandum conscendimus, plura consectaria ad rem nostram efformandam hauriri posse conspiciemus.

Conjicite, Auditores honorabiles parumper oculos in antiquitatis monumenta, quæ bibliothecas nostras non ornant modo, sed divitiis etiam magno in pretio stantibus complent. Illic hellenicæ cultuiæ scriptores sacri, S. Clementis Alexandrini insignia opera, eru ditionis et eloquentiæ plena; illic cognominati Theologi, ingenio adeo copioso, ut discernere dubium esset utrùm ornatior in eloquendo, vel felicior in explicando, vel potentior in persuadendo; illic S. Basilii, ingenium excellens, cujus eloquentia modo perfringit, modo irrepit in sensus, et Oracula sacra scriptis crevere suis; illic Oratoris summi, qui rem Christianam facundiæ ornamento decoravit, ac in sui admirationem totum rapuit Orientem, aurei oris, Chrysostomi nomen sortitus, in sermone patrio legite, potius quam in translatione,

---

(1) Cæs. Cantú. Hist. Univ., t. 12. pag. 333. París. 1867.

quæ plerumque ut fit, mendis et erroribus quamplurimis scatet.

His accensendi veniunt tot auctores, in re litteraria longum ævum inmortalitatis lauream adepti, qui presso sive soluto sermone non spernenda exemplaria ediderunt, ad humanitatis artium profectum plurimum conferentes. Homerus, vatum parens, cujus ingenium illuxit sine exemplo maximum, quippe fulgore carminum solus Poetæ nomen emeruit, per tot sæcula salvum atque incolume ad nostram usque memoriam perstitit ejus nomen; Aristoteles, Sophorum dux, inter veteres magna auctoritate potitus, absoluto in scholas gaudens imperio, cujus doctrinam in systema completum reduxit, atque cum Ecclesiæ dogmatibus conciliavit præclarum ac sublime Angelici Doctoris ingenium;[1] Demosthenes, eloquio potens Atticæ facundia linguæ, universos oratores hactenus longe retrò relinquens, aliique innumeri, quorum limites gradiuntur litterarum amatores, nomina silentio prætereunda, quia longius, quam par est, meam orationem protraherent eorum opera pervolvite in ipsa potius originali lingua, quam in infidis plerumque versionibus. Nonne pudet alienis cernere, quod facilè et cito propriis oculis intueri licèt, atque relicto fonte purissimo ex quo limpidas aquas nullo ferè negotio haurire possemus, cænosos rivulos bibere? Verè difficile et arduum est, libros genuina ac nativa lingua conscriptos eumdem decorem in translatione conservent. "Quod si cui non videtur linguæ sensum in interpretatione mutari, Homerum ad verbum exprimat in Latinum, ait S. Hieronymus, plus aliquid dicam; eumdem sua in lingua prosæ verbis interpretetur: videbit ordinem ridiculum et Poetam eloquentissimum, vix loquentem."[2]

Viri omni scientiarum genere præstantissimi hellenicæ linguæ sinus absconditos, ut ita dicam, perlustrarunt, inter alios Leibnizius, Scaligerus, Reuchlinus, Erasmus, Becker, Kuhner, Burnouf; et Hispania non retro fugiens a consortio tot sapientium, primas sibi vindicat in re sacra, ille qui

---

(1) Balmes.—Hist. Philos. ed Barch., cap XXXVIII.
(2) De optimo genere interpretandi, tom. VI, pág. 250.

inter catholicos Biblia Polyglotta vulgo Complutensia appellata, primus edidit et textum græcum prælo mandari curavit celeber Card. Ximenes Cisnerius, iterum edita a Cl. Aria Montano, sumptibus et auctoritate Philippi II. a quo Bibliorum Regium nomen sunt sortita, dignum profecto opus illud, quod ab omnibus sapientibus celebretur; Fr. Ludovicus Legionensis, Nebrissensis, Simon Aprilis, Maldonatus, Bergnes de las Casas, cæterique omnes qui sive prophanis sive sacris litteris floruerunt.[1] Sed præ omnibus laudabo fulgentissimum Ecclesiæ Hispalensis sidus, gentis Hispanæ patrem et doctorem, cujus liber Etymologiarum, dignus studio cum maxima gloria ad posteros devenisse, nemo est qui ambigat.

Sed frustra est, Exme. Domine, tempus terere in linguæ græcæ studio commendando, cúm inscitia atque hebetudo primas ubique teneant atque absolutum nanciscantur imperium; cúm linguæ antiquæ tot thesauros veluti sinu suo includentes, a plerisque aspernentur, et injusta accusatione omnino mortuas ac inutiles prorsus appellent. Si studia linguarum orientalium olim in Hispania valde floruerunt, et temporum vicissitudine, vix in Ecclesiasticis seminariis excolebantur, spem magni progressus ingerit vigens discendi ratio, ut scientia critica atque exegetica ea fundamenta inter nos habeant, quæ apud externas gentes, ut in Germania præcipué ubi hoc disciplinarum genus maximé invaluit. In hoc studii norma morem gessit Pauli V in academiis omnibus magistros instituentis, qui linguas orientales diligenter docerent, Clementis V. vestigia secuti, qui in Concilio Viennensi hoc idem præscripsit gymnasis et lycæis.[2]

Ea duce, faxit Deus, adolescentes optimi, ut et Spiritus Sancti verborum efficaciam sentire atque intelligere valeatis, et ejus studio incumbentes, ecclesiasticis imbuamini disciciplinis. Macti igitur animo, qui, et Divina eloquia, et humanitatis artes vobis esse desideratis, quia nihil sine magno labo-

---

(1) Lecluse. Sylloge Script Græcor. edit. Antuerp. 1752.
(2) Confer. Acta Pontif. anno 1312 in Bull. Rom. edit. Taur.

re vita dedit mortalibus. Proinde innixiùs impendere necesse est ad linguam græcam callendam, cum Ecclesia id commendare non destiterit, cum omnes disciplinæ theologicæ ex ejus cognitione vitam hauriant atque argumentis roborentur, cum ad classica studia litterarum potissimum operam conferat. Vos, sapientiæ studiosi, quia hoc Ecclesiæ decor, hoc litterarum nitor, hoc utilitas vestra expostulat, Poetæ memoratu consilia servate.

"Exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna" (1)

Scientiam sacram gnaviter quærite sub umbra hujus arboris Seminarii sedentes, de amaro litterarum semine fructus religionis uberrimos carpite sub prudentissimi moderatoris hujus Seminarii regimine atque sollicitudine omnium comprofessorum, per quos humanis litteris informandos, qui vestrum profectum, litterarum nitorem, amplissimam mercedem existimant.

Dignetur Doctissimus Pontifex, quem summo honore prosequi debeo, atque perillustri amplitudine hanc litterariam solemnitatem voluit insigniri hoc gratitudinis ac gratulationis specimen benignè excipere. Rationem habens suæ magnæ sollicitudinis erga hoc Seminarium, omni cura in ejus prosperitatem íncumbens; e memoria non elapsus ardentissimus amor, quo maximo studio, ejus utilitati consulit, atque vehementi, quo flagrat desiderio, ut novis accedentibus necessitatibus, præsentia tempora exigat, ejus sollicitudini, amori et studio æquum est retribuere, et omnia in hac Diœcesi sive ad Dei gloriam, sive ad animarum salutem, sua sapientia atque charitate ad pristinum splendorem revocata aspiciat, superno auxilio suffultus.

Si in diem usque hodiernam hoc gymnasium illustres Pastores rectitudine ac prudentia nobilitarunt, beneficam sui regiminis influentiam spargentes, ut veteres Episcopos hujus præclaræ Diœceseos pretermittam, gratam memoriam in mente

(1) Horat. Ars Poet. v. 265.

concitat ille Venerabilis Autistes,[1] haud oblitterandus, et quoad vixero colendus, sub cujus moderamine tot annos litterariam simul et morum institutionem accepi, qui vestigia majorum insecutus hoc Seminarium veluti virtutis sedem litterarium domicilium efficere constituit. Eorum salutifera consilia cogitatu in perpetuum habendum, de scientia et virtute quibus juvenes iis in aulis cooptati prædíti sint oportet. Sed cum finis agendi principem sibi vindicet locum, fructus et utilitas sapientiæ in modo sciendi constituitur, et ordine, et fine, quibus studere decet, ut Jesus Crucifixus omnium artium doctor et magister agnoscatur. "Sunt namque qui scire volunt, ut sciant; et turpis curiositas est: hi ut scientur ipsi, hoc turpis vanitas: illi pro pecunia et honoribus, et turpis quæstus est: sed sunt qui scire volunt ut ædificent, hoc charitas est." [2] En duplex scopus referri ad quem studia debent, cognitio veritatis et charitas seu amor justitiæ quos D. O. M. atque B. Virgo Deipara ad Ecclesiæ bonum litterarumque splendorem nobis benigne adspirent.

DIXI.

---

(1) Illmus. D. Fr. Felix M. Arriete et Llano a Gadibus....
(2) S. Bernard. Serm. XXXVI in Cant. Edit Paris pag. 151.




MISCELANEA
9
CASINO GADITANO
38
4.12